

Smaastykker.

VIII.

Et brev fra Niels Hemmingsen til Henrik Rantzau.

Ved biblioteksassistent *Carl S. Petersen.*

Nedenstaaende brev, der er omtalt af Bertheau i hans afhandling »Aus dem Briefwechsel Heinrich Rantzaus von 1570 bis 1593«, *Zeitschrift der Gesellschaft für Schlesw.-Holst.-Lauenb. Geschichte* XXII (1892) p. 254—55, meddeles her efter en afskrift i Cod. Breitenb. R 119, der ved hr. kammerherre grev Rantzau-Breitenburgs forekommenhed har været mig tilgængelig på det kgl. bibliotek. Orig. findes ikke blandt brevene til Rantzau i cod. Vindob. lat. 9737¹⁻ⁿ.

Henrico Ranzovio Produci Cimbrico

S. D. Nicolaus Hemmingius.

Magnifice, generose ac doctissime vir. Accepi libros, quos misisti: Calendarium, Astrologicum librum, et epistolas consolatorias, in quibus et ingenium excellens, vera pietas et arduum studium bene merendi de hominibus relucet. Pro hoc dono Magnificentiae Tuæ Excellenti gratias ago quam possum maximas. Utinam multi nobiles tuum sequi exemplum vellent, præsertim cum veræ Nobilitatis προσκείμενα sint generosus animus, pietas, sapientia, virtus cum studio bene merendi de omnibus, præcipue de Ecclesia Christi, cujus nutritores esse debent viri Nobiles, quibus proposita est merces copiosa in coelis. Libros Magnificentiae Tuæ perlegi (quos mihi proxima ætate misisti per amicum communem, M. Christophorum Knopff, Regium Concionatorem), ex quibus et doctrinam et

voluptatem percepi maximam. Nam in ijs miscetur utile dulci. Legi tractatum Magnificentiae Tuæ de Resurrectione. Quod scriptum probo, verum agnosco ac multis profuturum judico et propter multitudinem exemplorum veterum et recentium doctis gratissimum. Nititur enim, ut par est, verbo Dei, quod est regula fidei Christianæ. Animalis enim hominis fides se tantum intra limites rationis et sensuum continet; sed Christiani hominis fides, quia verbo Dei nititur, excedit limites naturæ, fines rationis et experientiae terminos. Nam credit secundum efficaciam potentiae roboris Dei.

Quod autem scribis Astrologicum studium alienum esse a mea professione, hoc quidem ex parte fateor. Sed interim scias me magnopere probare et magnificare eos, qui in eo studio versantur, præsertim cum forma hominis erecta admo-
neant, ut coelum intueamur et admiremur opera Dei, qui antequam mundum crearet, ut præscivit omnia, quæ in mundo futura erant, et eorum causas cum necessarias, tum voluntarias et contingentes prævidit, ita ea in libro Naturæ, hoc est, in corporibus coelestibus, astris et in reliqua rerum natura tanquam in tabula scripsit, unde sapientes mundi longa observatione edocti multa prædicunt futura, quorum stellæ non sunt τέκτονες, sed κύρηκες, non ἐργάται, sed σηµάντορες. Nam ipsa eventa suas proprias causas, alia quidem necessarias et naturales, alia vero voluntarias et contingentes habent. Hoc cum intelligeret optimus et sanctissimæ memoriæ vir Philippus Melanchton (quem simul Vitebergæ et vidimus et audivimus docentem), hortator fuit discipulis suis, ut magnam operam in Mathematico studio collocarent, quo magis incitarentur in admirationem opificis Dei et Providentiæ. Quicumque ergo astrorum scientiam non magnificat, non homo, sed bestia est; qui contemnit, stipes. Contra vero qui in hoc studio occupatur, angelis sociatur, qui inde materiam laudandi Deum petunt.

Mitto Tuæ Dignitati duo exemplaria libelli mei de Universali Gratia, quibus adjunxi commentarium in psalmos quosdam, in quorum octavo et decimo octavo sententiam, ut spero, veram de enarratione Gloriæ Dei per coelos proposui. Rogo ut eum boni consulas ac in splenditissima tua Bibliotheca recondas, quam multi, qui eam viderunt, admodum prædicant.

Vale generosissime, doctissime et optime vir cum tua honestissima familia tota, uxore castissima et liberis optime educatis. Ac Deum rogo, ut te quam diutissime incolumem et sanum conservet in decus, ornamentum et fulcimentum patriæ tuæ, cui Deus te præfecit gubernatorem. Perge, ut hactenus fecisti, prodesse omnibus, quibus potes, et nocere nemini, quod et boni et pij viri est officium. Roschyldio, 12 Decemb. Annj MDXCIII.

(Codex Breitenburgensis R. 119, fol. 1151-54)
